



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

19. De initio Prædicationis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59868)

DE PRINCIPIO
PRAEDICATIONIS
CHRISTI.

MEDITATIO XIX.
EVANGELIVM.

Matt. 4.
Mar. 1.
Luc. 4.

IESVS relicta ciuitate Nazareth venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Nephthali, vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam. Terra Zabulon, & terra Nephthali, via maris trans Iordanem, Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbre mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit IESVS prædicare Euangelium regni Dei & dicere. Quoniam adimpletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei, Pœnite mini, & credite Euangelio.

CH
lio. Et f
gionem
SVStota
nagogis
geliu reg
& omne
magnifi
opinio
tulerun
rijs lang
prehen
& lunac
eos & l
de Gal
mis, &

1. I A
fil
fnibus
incho
sus da
2. .
pradi
Nini

lio. Et fama exijt per vniuersam re-
gionem de illo. Et circuibat ipse I E-
SVStoram Galilæam, docens in Sy-
nagogis eorum, & prædicans Euan-
geliū regni, & sanans omnē languorē
& omnem infirmitatē in populo, &
magnificabatur ab omnibus. Et abiit
opinio eius in totam Syriam, & ob-
tulerunt ei omnes male habentes, va-
rijs languoribus & tormentis com-
prehensos, & qui dæmonia habebāt,
& lunaticos, & paralyticos, & curauit
eos & lecutæ sunt eum multæ turbæ
de Galilæa, & Decapoli, & Hierosoly-
mis, & de Iudæa, & trans Iordanem.

FIGVRAE.

1. **I**ACOB in fine vita benedicēs suis ^{Gen. 49.}
filijs dixit de Nephtalim, in cuius
sinibus Dominus predicationem suam
inchoauit. Nephtalim ceruus emis-
sus dabit eloquia pulchritudinis.
2. • Ionas propheta à Deo missus, iuit ^{Iou. 3.}
predicatum pœnitentiam in ciuitate
Niniue.

N 4 PRO

PROPHETIAE.

- Esa. 49.* 1. **E**CCE dedi te in lucem gentium.
Esa. 9. 2. **P**opulus, qui ambulabat in tenebris, vi-
 dit lucem magnam, habitantibus in regione
 umbræ mortis lux orta est eis.
Esa. 61. 3. **S**piritus Domini super me, eo quod vo-
 xerit me, ad annunciandum mansuetis miseri-
 cordiam, et mederer contritis corde, et predicare
 captivis indulgentiam, et clausis aperiorem,
 ut predicarem annum placabilem Domini.
Esa. 52. 4. **Q**uam pulchri super montes pedes annun-
Nah. 1. ciantis et predicantis pacem, annuntiant
Rom. 12. bonum, predicantis salutem.

CONSIDERATIONES.

- Punct. 1.* **C**ONSIDERA quomodo IESVS discedat ex Nazareth, & con-
 ferat se in partes Galilææ. Discedit pri-
 mo, ut det nobis patientiæ & mansue-
 tudinis exemplum, dando locum iræ &
 furori eorum, qui conspirabant in eius
 interitum. Secundo, ut bonitatem suã
 declaret, sua absentia mitigando eorũ
 invidiam, & tempus concedendo, ut in
 se redeant, erroremque suũ agnoscant.
 Tertio, ut doceat modum, & formam
 à nobis in persecutione obseruandam,
 ut scilicet non exponamus nos temerè
 periculis, sed potius fugiamus, & cum
 pru-

prudencia occultemus, donec aduen-
 tit hora nostra. Quarto, vt vocet & eli-
 gat futuros Magistros totius mundi,
 qui maximè in illis partibus degebant.
 Et denique vt hoc suo discessu præfigu-
 ret transmigrationem prædicationis
 Euangelicæ à Iudæis ad Gentes, docens
 discipulos illud, quod ipsi quoque po-
 stea erant facturi. Nam sicut Christus
 non receptus in patria sua, imò eiectus
 ex illa, prædicatum abiit in alias Gali-
 læ civitates, in quibus adhuc habita-
 bant gentiles: sic postea Apostoli, Iu-
 dæis prædicationi Euangelicæ repu-
 guantibus constanter responderunt.

Luc. 4.

*Vobis oportebat primum loqui verbum Dei,
 sed quoniam repellitis illud, & indignos vos
 iudicatis æternæ vitæ, Ecce conuertimur ad
 gentes.*

Act. 13.

2. IAM appropinquabat vndecima
 & vltima mundi hora. Iam tempus ad-
 erat, quo magnus ille Paterfamilias,
 qui olim cebrius diuersis horis in Pa-
 triarcharum & Prophetarum persona
 exierat ad conducendum in vineam o-
 perarios, nunc tandem sub diei finem
 in propria persona exiret & conduce-
 ret reliquos qui multo tempore stete-
 rant otiosi. Egreditur ergo Saluator,
 vt Propheeta prædixit, tanquam Sol.

Matt. 20.

N. 5. iusti-

iusstitiæ, vt illuminet sedentes in tenebris, & ambulantes in regione vmbre mortis. Et idcirco rectè initium prædicationis fecit in partibus Galileæ, cuius incolæ erant partim Iudæi, partim gentiles, vt doctrinæ suæ splendore nõ solum illustraret inuerteratam cecitã Iudæorum, verumetiã è mentibus gentium ignorantia tenebras discuteret.

Heb. 1.

Egressus est denique vt hæres vniuersorum & filius vnicus eius Patris, qui post missos olim seruos ad colligendũ huius vineæ fructum, eosque ab ingratiss agricolis partim flagellatos, partim lapidatos & occisos, ad extremum misit Filium suum, dicens, *Fortè verebuntur filium meum.* Verum heu benedicte

Matt. 21.

IESV, simulatque incipies aperire ostium, & mundo tanquam hæredem declarare, exurget persecutionum tuarum tempestas: & cum ab agricolis tuis exiges debitos fructus, illi in necem tuam coniurabunt.

3. CONSIDERA verba Saluatoris. *Pœnitentiam egite, iam enim impletum est tempus & appropinquauit regnum Dei.* Sapientissime Dominus noster non ante aggressus est prædicationem suam, quam Ioannes finem prædicandi fecisset: deficiente enim lege veteri, o-

111

rii debu
sto Salua
si bona r
nis, sed d
spiritali
non terri
Christus
nisi Ioh
causam
popular
raculũ,
colorum
ei adiu
stum, v
solem,
sum. Et
ginosa
in sole
posset
annes
ita præ
Christi
prime
confo
4. C
xordi
eodem
rar, no
annis
sceret

rini debuit gratia Euangelij, & à Chri-
 sto Salvatore nostro mundo annuntia-
 ri bona noua, non de vindicta, & mi-
 nis, sed de remissione peccatorum, pace
 spiritali animorum, & promissionibus
 non terrenis, sed cælestibus. Noluit
 Christus exordiri suam prædicatione,
 nisi Ioanne in carcerem coniecto, ne
 causam daret Schismati vel discordiæ
 populari. Et Ioannes nullum fecit mi-
 raculū, vt populus magnitudine mira-
 culorum Christi commotus se facilius
 ei adiungeret. Præcessit Ioannes Chri-
 stum, vt vox præcedit verbum, aurora
 solem, seruus Dominum, amicus spon-
 sum. Et deniq; quia totus mundus cali-
 ginosa quadã exaritate erat obrutus, vt
 in solem iustitiæ obrutum defigere nõ
 posset, præmissus est Beatissimus Io-
 annes quasi lucerna, vt sua tenui luce
 ita præpararet peccatores, vt præsentem
 Christo cælesti eius splendore non op-
 primerentur, sed recrearentur potius &
 confortarentur.

4. CONSIDERA, Christum ex-
 ordiri voluisse prædicationem suam
 eodem modo, quo Ioannes exorsus fue-
 rat, nempe à pœnitentia, vt sua illã Io-
 annis approbaret, & vt populus cogno-
 sceret, vtrumq; eodem spiritu locutos,

N 6 & lo-

& Ioannis de Christo testimonium verum fuisse, ac proinde Christum esse filium eiusdem Dei, cuius Ioannes Propheta exstiterat. Pœnitentia quoque initium fecit Dominus, quia est prima veritas in ijs qui sunt obnoxij peccatis, primus ad Christum gradus, prima scala ad petendum regnum caelorum. Imò pœnitentia est clavis illa aurea, qua peccatoribus aperitur caelum; vnde rectè subiunxit Saluator. *Appropinquavit enim regnum caelorum,* quasi diceret, Peccatis vestris regnum caelorum longissimè à vobis remotum est, sed nunc agite pœnitentiam & appropinquabit vobis. Sed quid est hoc, bone IESV? paulò ante voluerunt te precipitare de monte, & occidere, & iam iniuriam omnium immemor, non cessas docere & beneficus esse erga illos, quos scis paulò post fore erga te ingratos. O quantum Domine mi bonitas tua excedit malitiam nostram, & quam zelus animarum ad procurandam salutem nostram longè plus in pectore tuo potuit, quam omnis ingratitude nostra potuerit ad commouendam iustam tuam contra nos indignationem? Deinde paulò ante te ipse obtulisti Nazarenis, de-

claranc
te in S
& nunc
uerti vo
pecca
amant
tur, tibi
te resp
tam lib
tiris?
5. EXI
nima r
stis, qu
Vide q
nagog
fuit, ali
hodie,
aberra
suam i
do ven
tentian
dona &
uitas n
& à pe
stium p
dante
I E S
miratu
est hom
minus q

clarando illis Vaticinia de te scripta, si te in Saluatorem recipere voluissent. & nunc Galilæis offers regnum, si conuertere velint, & pænitentiam agere de peccatis. Quid ergo facies illis, qui te amant, & suum Dominum profitentur, tibi que fideliter seruiunt, si illis qui te respuunt, & sceleribus offendunt, tam liberaliter te, tuasque res imperitiris?

5. EXPENDE nunc aliquantulum anima mea vocem huius turturis cælestis, quæ cœpit audiri in terra nostra. Vide quomodo, postquam ingrata synagoga ab amabili sponso suo diuisa fuit, alienos sectata amatores, Saluator hodie, solitarij turturis instar, à socijs aberrantis, incedit gemens, & sponsam suam in clamans, nunc illi promittendo veniam, si post tot lapsus per pœnitentiam ad se redeat, nunc offerendo dona & præmia, vt si peccatorum grauitas non sufficeret ad eam terrendam & à peccatis reuocandam, saltem cælestium promissionum magnitudo quantenus eam permoueret. O dulcis I E S V, quam iuste tuam Prophetas miratus est bonitatem, cum dixit. *quid est homo, quod memor es eius, aut scitis hominum quoniam visitas eum? Quis unquam* Psal. 8.

audiuit Regem potentissimum, vtili ser-
uo suo, à quo iniurijs affectus & prodi-
tus est, non modo offerentem, si tantū
doleat de noxa, omnem pænæ con-
dōnationem, verum etiam, adoptaturum
se eum in filium, successorem & herede
regni? certe non ob aliquod nostrum
meritum, nec quod te dilexerimus, sed
ob solam tuam bonitatem, & quia prius
dilexisti nos, tantisque bonis, & gratijs
collatis dignos reddidisti.

1. Ioh. 4.

6. CONSIDERA, quomodo IESVS
iter faciebat instar misericordis Medi-
ci, quærentis eos, qui per imbecillitatē
& infirmitatē corporis eum adire non
possunt. Ibat velut pastor bonus, quæ-
rens debiles & ægras ouiculas, ut hūe-
ris impositas referret in ouile. Verè pa-
stor bonus, non suis, sed gregis com-
modis & saluti studens; medicus verè
diuinus, non corporis tantum sed ani-
mi quoq; morbos curans, & vtriusque
naturæ se autorem demonstrans. Qua-
re bene dixit Euāgelista, quod primum
cæperit prædicare & docere, deinde
miracula facere, sanando omnis gene-
ris infirmos. Nam primo doctrina sua
sanauit hominum mentes, quod maxi-
mè erat necessarium; deinde verò cura-
uit & corpora virtute suæ diuinitatis.

Luc. 15.

Ioh. 10.

Verè

CH
Verè in
venisti,
languor
dos; veni
gisteri
stendere
dos oēs
rum mo
suavis, t
sequam
non mi
mitatibi
nos illi,
rum pre
rit in da
mus in p
ciunt he
dine se l
stra tot
dissimu
dium di
sensu pu
grauitas
hoc do
mus, qu
enim n
tano cr
ant con
stra fact
7. CO

Verè in hunc mundum, mi Domine, *Esai. 4.*
 venisti, vt dicit Propheta, ad ferendos
 languores, & dolores nostros portan-
 dos; venisti vt cælestis magister, qui ma-
 gisterio suo hominibus viam salutis o-
 stenderet: Venisti vt medicus, ad sanan-
 dos oēs animorū, corporumq; nostro-
 rum morbos. Si ergo tam bonus; tam
 suavis, tamq; potēs est Saluator noster,
 sequamur & nos eū, o anima mea, qui
 non minùs quàm turbæ illæ, varijs infir-
 mitatibus oppressi sumus. Adiungamus
 nos illi, & veniam peccatorum nostro-
 rum precemur, qui neque iam tardus e-
 rit in dando, si nos negligentes non si-
 mus in petendo. Heu mihi, quid non fa-
 ciunt homines, vt vel à minima agritu-
 dine se liberent. & tamen si anima no-
 stra tot lethalibus morbis oppressa sit,
 dissimulamus, & de die in diem reme-
 dium differimus. Et licet nullo doloris
 sensu pungat nos horum morborum
 grauitas, non idcò securi sumus, imò
 hoc dolere & plangere amplius debe-
 mus, quo minus dolorem sentimus, id
 enim non inde contingit, quod pecca-
 ta nō creent dolorem, vel non morde-
 ant conscientiam, sed quia anima no-
 stra facta est insensibilis.

7. CONSIDERA, quam corrupta &
 INOE-

inordinata fuerit natura nostra, quando Saluator in mundum venit, & quanto maiorem molestiam creatura suo creatori in restauratione, quam in creatione attulerit. nam creatio vno verbo tantum perfecta est; restauratio vero, sine profusione sanguinis perfecti non potuit. Vnde merito D E V S per prophetam in persona totius humanæ naturæ dixit ad Hierosolymam. *Præbuisi mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Esai. 43.

D E V S enim vno verbo, vnoque momento totum mundum condidit; & eadem facilitate condidit quoque angelos & homines: sed postquam homo per peccatum à Deo conditore suo, & ratione recessit, ad eum restituendum, non fatis fuit Deum, diuersis temporibus per ora prophetarum hominibus nunc comminari, nunc exhortari, nunc promissis allicere, sed ad extremum necessarium fuit, vt ipse de caelo descenderet, & nostra carne indutus cum hominibus conuersaretur, ore proprio eis prædicaret, coram eis quoque miracula faceret, eaque maiora, quam vllus vnquam fecisset, vt quod verbis non posset, miraculorum saltem virtute persuaderet. O duritiam cordis humani. O magnam Dei patientiam, quam bene:

Ioan. 15.

CH
bene per
meas
graditur i
à prima
neque tu
demini
quàm g
sic, vt to
missa fla
diuersis
vsque h
quàm e
qua con
uocare
ducere
tatem p

O
lic
tatis, v
bere m
incho
mifero
agend
approp
rum, q
longe
miseri

bene per Prophetam dixit: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui gradiuntur in via non bona. Verè, tota die, quia Rom. 10.* à prima mundi hora vsq; ad extremam, neque tu, neque creaturæ tuæ, aliud videmini fecisse, vel alij rei operã dedisse quàm gubernationi & salutì hominũ; sic, vt tot prophetarum voces, tot immissa flagella, tot opera mirabilia, quæ diuersis sæculis, à condito orbe in hanc vsque horam fecisti, non aliud fuerint quam continua quædam prædicatio, qua conatus es homines à peccatis reuocare, in notitiam & amorem tui inducere, ac denique ad æternam fælicitatem promouere.

COLLOQVIUM.

Obscrabis Christum Dominum, vt sicut ille misertus humanæ fragilitatis, volensq; animæ nostræ verã præbere medicinam, prædicationem suam inchoauit à penitentia, sic tibi quoque misero spatium & affectum penitentiæ agendi concedere velit, vt per illam & appropinques, & aperias regnum cælorum, quod tuis peccatis fuit clausum & longe à te remotum. Et quoniam instar misericordis medici venit ad quærendum

dum infirmos, & sanandas animorum, corporumq; aegritudines, velit quoque te intus forisq; varijs morbis oppressum, sanitati restituere, extrahendo te ex luto & fecibus peccati, & dirigendo gressus tuos in viam salutis.

DOCUMENTA.

LUC. 1. 4. 1. **C**HRI^{STVS} facturus pr^odicati^onis suae initium, reliquit Nazareth, patriam suam, quae erat exigua villula Galilaeae, & abiit ad urbem populosam Capharnaum, in qua morabantur Iudaei mixti gentilibus, ut nos doceret, Praedicatorem Evangelicum, ut omnibus liberè annunciare possit veritatem, impiis debere exuere omnem inordinatum affectum erga parentes & sanguine iunctos. Secundo debere suo munere fungi ijs in locis, ubi spes apparet vberioris fructus animarum.

2. **C**HRI^{STVS} noluit pr^odicati^onem suam auspiciari in regia vrbe Hierosolyma, ubi debebat Princeps, omnisq; Iudaica nobilitas, sed in Galilaea prouincia paupercola, in qua erat magna Dei ignorantia, ut intelligant eius Praedicatores, non esse sectandas cathedras celebres & nobiles, nec aucupandam nominis gloriam & existimationem, sed vtilitatem & salutem animarum.

3. 81

CH
3. SIC
probe nota
& que m
nunciau
habent, q
bil pati vo
quam pec
perè tam
ant, vt ne
ant.

4. IOA
vel taceb
ac finita p
aggressus
mitaten
doctrinae
fusione
ribus &
dignantu
Dei ante

5. CH
est Ioan
eodem ar
rat. Quo
confirma
arrogant
nam ali
suam tar
beantur

3. SICHRISTVS medicus celestis, qui probe norat, & quanta esset nostra infirmitas, & quae medicina ei conueniret, mundo annunciauit penitentiam; quomodo spem salutis habent, qui longè aliam ineunt viam, & nihil pati volunt? & cum totos dies, non aliud quam peccent, & Deum offendant, tantoperè tamen à penitentiae operibus abhorrent, ut nomen quidem aequis auribus sustineant.

4. IOANNE predicante, CHRISTVS vel tacebat, vel certè non predicabat publicè ac finita predicatione Ioannis, CHRISTVS aggressus est suam, eare maximam suam humilitatem demonstrans, dum Dominus officio doctrine & predicationis cedit seruo, ad confessionem multorum, qui non modo non inferioribus & aequalibus, sed nec superiorib. cedere dignantur, & se certo quodam modo ipsi Filio Dei anteponunt.

5. CHRISTVS in predicatione imitatus est Ioannem, exordièdo predicationem ab eodem argumento, quo Ioannes exorsus fuerat. Quod fecit primo, ut Ioannis doctrinam confirmaret. Secundo, ut pud faceret eorum arrogantiam, qui dedignantur imitari bonam aliorum doctrinam, imò redarguunt, & suam tantum venditant, ut soli in pretio habeantur.

6. Do-

6. Dominus in concionibus suis non solum hortabatur populum ad credendum Evangelio, sed etiam ad agendam penitentiam. Unde discimus, ad salutem obtinendam, non sufficere fidem, qua in Christum credimus, sed agendam insuper penitentiam & operibus demonstrandum nos de peccatis commissis dolere.

7. CHRISTVS non tantum docebat verbis, sed etiam doctrinam suam confirmabat operibus, & ideo diuulgata vndiq; eius sanctorum omnes populi ad eum accurrebant. Sic Predicatores, si velint magnum esse hominum concursum, comparare nomen, & singularem fructum in populo facere, conentur imitari Christum, iungendo sancte doctrine, opera vite inculpare & religiose.

8. Euangelium commemorat CHRISTVM primo circuisse. Secundo peragrasse Galileam, in qua erant, Iudei, gentiles, & homines inopes. Tertio docuisse. Quarto, in Synagogis. Quinto predicasse Euangelium regni. Sexto sanasse omnes infirmitates in populo: ut suo exemplo demonstraret, quales debeant esse Prelati, & Euangelii predicatorum. Ac primo quidem, ne sint ignari & negligentes, sed solliciti & feruentes. Secundo, ne sint accipiores personarum, sed omnibus equaliter suam doctrinam communicent. Tertio, ne circumueant vacui & otiosi, sed doceant, & fru-

CH
tam aliqu
doctrinam
& a Doctr
nentur de
tuosis &
solum ad
spiritualib
in necessit



D
TI

ME



mare.
lis Ies
vos fr

Am aliquem faciant. Quarto, ut non tradant doctrinam periculosam vel suspectam, sed sanctam & a Doctrinis approbatam. Quinto, ne concionentur de rebus curiosis, & vanis, sed de fructuosis & animae salutaribus. Postremo, ut non solum adiumento sint suis subditis, in rebus spiritualibus verum etiam, quatenus poterunt, in necessitatibus temporalibus.



DE VOCATIONE APOSTOLORUM.

MEDITATIO XX. EVANGELIUM.



Mambulans IESVS iuxta Matt. 4.
mare Galilææ, vidit duos Mar. 2.
fratres, Simonem, qui Luc. 5.
vocatur Petrus, & Andream, mittentes rete in mare. erant enim piscatores; & ait illis Iesus. Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. At illi